CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS EXAGITANDA IN SCHOLIS Medicorum, die Iouis, 9. Martij, D. Gulielmo de Baillou, Doctore Medico, moderatore prudentissimo.

An qui gibbi ex asthmate aut tussi ante pubertatem fiunt, citò moriantur?

VT in corpore iusta temperies, actionum auctor, ita figura & syntaxis cerni debet. Vtrumque & in toto, & in partibus. Hoc continuum est instar circuli, adeo omnium conspiratio. Adeò mirabilis οὐλομελία existit. Temperies mixtionis contrariorum soboles (vnde homini varietas grata & vtilis) anima obscuráve natura dicta neutiquam transformatur. Hæc morum genitiuorum fons, in ea hominis μοῖρα πεπρωμένη, vnde cuique sui manes. Figura mira partium descriptione elucet, seu μορφὴ seu εἶδος dicatur, temperiem vel materiem secuta. Tanti est figura, vt ab ea prognoseως & therapiæ momenta eliciantur. Hinc qui morbus habitui congruit, minus periculosus. etsi alatis certò tabes præsagitur. Hinc inflexio spinæ intus vel foris natâ creat periculum citò necans aut non, prout maturè vel serò acciderit. Et queis malè conformata pars, maximè si thorax, citiùs & audaciùs phlebotomia consulendum.

APPRIMÈ verò contentorum & continentium analogia confert. Cerebro magno caput augetur, paruo minuitur. Cum corde augetur pectus. Thorace angusto, si cor magnum, celeri ac crebro motu sanguinem rapiens suffocatur. Si pulmo adoleuerit, nec thorax obsequitur, calamitas. Hinc dispnœa, quam angustia, à compressione, depressione, tuberculo, vasorum obstructio & conniuentia ex marcore pulmonis parit. Si cranium cerebri incapax, aut coma, aut Epilepsia, luna pleniore. Si caput acuminatum, motus & sensus oblæsio. Magnitudinis integritas actionū sequax. Qui breui corpore, prudentior: Qui longo & tenui, fluxiones sentit tabis minaces. Gibbositas (vulgi opprobrium, vt hominis natura procax est in alienis miserijs, ac si gibbum esset nequitiæ latebra) senectutis sæpè comes, cui longa statura parum est speciosa. Mala denique conformatio nocet, pessima thoracis.

THORAX osseus est, vt contentis maior securitas. Hoc præsidium, morborum Ilias oppugnat, expugnat sæpè. A capite inimica fluxio si aluum turbat, thoraci parcit. Vndelibet fit impetus in thoracem. Imò in thorace seditionis fomes; cùm aut congeritur humor, aut tabifica vis à stirpe per traducem hausta, & ab alijs haurienda. Ad hanc facit motus, vt & in oculis. Et cùm hinc inde humorum impetus, morborum ideæ sunt, vt pleuritidων. Si ab inferioribus pleuritis, purgatio & phlebotomia conuenit. Quamquam hæc morborum thoracis ἡγεμονικόν. Cacochymis ex opposito confert, si rigorem pleuritis secuta, quo & soluitur. In squalore, & summa hyeme pleuritis ἄπλυτος. Hyeme, fotus satis est, in squalore potio multa. Præceps hîc phlebotomia præcipitat: licet aucta febris & dolor, non ideo venam incides, si dies criticus, si coctio fit febris & doloris prouocatrix. Sudor pleuritidis sæpe solutio est. Coctio in morbis thoracis tanti est, vt si mutato morbo, nō vitato periculo ex pleuritico fiat empyicus, non sit tutum statim pus educere. Puris fit quædam μόλυνσις, quia loci mutatio fit. Expectandum donec denuo maturescat. Si peripneumonia abscessu in crura terminetur, cocto sputo, abest metus claudicationis, sputo crudo non absuturus. Nec minùs valet exacta diæta, exactior tamen seruanda in partium naturalium, quàm pulmonis morbis.

NEC hic impetus humorum spinæ parcit. hæc varias habet partes. vt harum, ita periculi, affectuum, criseων varietas. hæc natura ἰθυκυφὴς, ἰθυλορδὸς, leniter conuexa ac sinuosa. Natiuæ amussis retentio, fuga periculi est. Κακοκυφὲς aliàs funestum, aliàs non. Pueris, quòd corpus adolescat, propter phymata aut quid violentum, pernicies. Partis spinæ deprauatio, alimenti & incrementi eius prohibitio est. Augetur pulmo, thorax incapax. Quò longius spina à principio abest, minor calamitas. Mediæ spinæ, maior, ceruicis pessima. Anginosi necantur. Prout vel intro, vel extra, vel ad latus fit inflexio, variæ ideæ, existūt. Crudum phyma dyspnoeæ, coctū tussis autor est. licet Coctio vbique vt blāda mater sit, hîc nouerca est, quia inde plus periculi, ni pus exeat. Retentum tabefacit, brachia maximè. Adiuuare potest mirus thoracis cum genitalibus consensus. Tumor testium periculi vindex est. Inferioris spinæ phyma benignius est, oborto varice, aut dysenteria curabile.

MISERÈ ergo in tussi & anhelitu moriundum. At prædictio mali probatur, si ad eam cautio adiungitur. Nec enim ætatula misera miseriori prognosi relinquenda. Ac si vix natus homunculus ob eminulum in spina tuber, tanquam tumulum, vni tumulo reseruetur. Cyphosis omnis mala (licet quædam à phrenitide liberarit) pessima crescente corpore, aut anteuertenda aut curanda. Iuuat decubitus, cuius figuræ facilè inflectunt. Si à capite malum, cauteria occipiti: sin minus, dorso adhibentor. Frictiones, metasyncritica, vnguentum auxiliare, siccans diæta: scyna cum herbis vulnerarijs: purgatio frequens: anacatharsis. catharsis licet ætatulæ mala, cyphosi melior est. artificiosa fasciarum administratio. detractio sanguinis frequens. Quippe distorsiones spinæ largus sanguinis fluxus soluit. hæc & similia ars, vt sedulus promus-condus prodet, vt non tam calamitosa, vera tamen, prognosi, quàm salubri therapia commendandus Hippocrates melior medicus quàm augur pronuntiarit,

Qui gibbi ex asthmate aut tussi ante pubertatem fiunt, citò moriuntur.



Asserebat IACOBVS L'ESCRIVAIN Andinus. CIϽ. IϽ. XCV.